

Cylindrus rectus, ad modum prioris, est hac conditione, ut
cum duo vascula adhiberi debeant, tres quatuorve digitos
alta, capacitate æquali superius & inferius cum capacitate
Cylindri, quorum utrumq; in parte inferiore ad latus sit per-
foratum, quo liquor ex uno descendens in altero ascende-
re queat, vel cylindrus recurvus, inspice Fig. 2. Lit. F. G.
Tubo E. mercurio repleto adjungenda est rota ex ligno con-
fecta H, cum indice I, qui trochleæ K. in centro rotæ firmiter
adjunctus sit, supra hanc trochleam transeat filum, quod u-
trique extremitati suæ pondera plumbea L. G. alligata habe-
at, alterum liquori, qui in curvitatē tubi G. ascendit, in-
nater, alterum verò ex trochlea in libero aëre propendeat.
Fusius describitur in Act. Philosoph. Anglic. Mens. Junio
Anni 1666, pag. m. 164. Nuncupantur à figura, quam præ se
ferunt, *Orbiculata*.

§. VI. Tertium *Baroscopiorum* genus, cujus inven-
tor *Robertus Boyleus Nobilis Anglus Reg. Societatis Socius ce-
leberr.* creditur, hujusmodi est. Sit ad manus bulla vitrea
vid. Fig. III. Lit. M. maxime lata, tenuis & levis, ut & statera ex
ligno vel ære confecta; alteri extremitati N, bulla appenda-
tur, vel etiam adhuc alia huic similis, quippe, cum plures adhi-
bentur bullæ, effectus magis conspicuus redditur; idem præ-
stant aliquot vesicæ bovinæ vel suillæ; alteri extremitati O.
contrapondium Q ex plumbo alligetur (accuratiores u-
tuntur auro, quo minorem superficiem externam descri-
bat): Arcus porro, vel circulus P P in gradus divisus, ex li-
gno vel chartâ crassiore confectus, ansæ trutinæ RR applice-
tur, ut circa gradus circuli P P examen fixum S promptè,
sine calculatione monstret quantitatem anguli, quo examen
à perpendiculari declinat, & jugum, seu scapus T à suo ho-
rizontali parallelismo. Libero aëri exponi, sive quò magis
liberum maneat à pulvere & irregularibus agitationibus, par-
væ fa-